



16

CONSERVATORIO DI MUSICA B. MARCELLO  
FONDO TORREFRANCA  
LIB 2015  
BIBLIOTECA DEL VENEZIA

L. 250 Barbini, Belgio, Maggio '52


9583

HUMILITAS EXALTATA,  
S E U

ESTHER REGINA.  
ORATORIUM MUSICUM.

*Habebatur*

IN TEMPLO  
DIVI LAZARI  
MENDICANTIUM.



VENETIIS; MDCCXII

Apud Marinum Rossetti.

*Superiorum Permissu.*

CONSERVATORIO DI MUSICA B. MARCELLO  
FONDO TORREFRANCA  
LIB 2015  
BIBLIOTECA DEL VENEZIA

# INTERLOCUTORES.

Assuerus Rex.

Vasthi Regina.

Esther.

Præfectus Curiaë, Patruus Esther.

Aman Satraparum Princeps.

Charfena à consiliis Assueri.

Zethar &

Harbona } ministri Regis.

Abra, una ex ancillis Vasthi.

Chorus Convivarum

Chorus Ancillarum

Chorus Aulicorum, &

Chorus Judæorum.

PARS

# PARS PRIMA.

Chorus Convivarum.

**A** Ssuero regnanti.  
Propitiæ favete  
Per sæcula, o Stellæ.

Ex lib.  
Esther  
cap. p.  
n. 7.

Pars Chori.

Sit Assuero pax beata:  
Et in faustos ejus dies  
Nunquam surgat frons armata,  
Nunquam fremat cor rebelle.

Chorus.

Assuero regnanti &c.

Alter pars Chori.

Sit Assuero æterna quies:

Ei per colles, ei per montes  
Omnes rivi, & omnes fontes

Chorus.

Lacte fluant, & fluant melle.

Assuero regnanti &c.

Assuerus. Suscipiant vestra vota, & vestras preces

Numina fausta. Est populorum salus,  
Quæ regis salus est. At nondum venit  
Formosissima Vasthi? Illa quæ est mei  
Cordis lætitia, hodie sit stupor vestri.

c. I. n. 11.

Harbona. Vasthi, mi rex, ad te vocata indulget

Fœminarum convivio,  
Potiùs quàm regi, & sponso. Illa in conspectum  
Venire tuum recusat:

c. I. n. 12.

Et jactando superbè iras feroces,  
Despicit blandimenta humanitatis,  
Et majestatis tuæ negligit voces.

Solet ita de valle profundâ

Suâ lucè fœcundâ

Sol ad cœlos vapores vocare.

Et vapores frequenter ingrati,

Jam nimis elati,

Cœlum audent, & solem turbare.

Solet ita &c.

A 2 Char-

*Charfena*. Sol, qui de terrâ ad se vaporem trahit,  
Sæpè dissipat eum; & lux serena,  
Quæ jam fuit gloria illius, illius fit pœna.

*Assuerus*. Vos, quorum utor mente,  
Dicite: An non in me peccavit Vasthi?

c.1.n.14.

*Harbona*. Et in populos tuos Vasthi peccavit.

c.1.n.16.

Quid obsequii, quid legis  
Ab uxoribus viri amplius sperabunt?

c.1.n.18.

*Charfena*. Quid? Exemplo reginæ audax in viros  
Turba conjugum fiet. Vasthi impunita  
Cœteris fit licentia ampla peccandi.

*Harbona*. Hæc est sententia mea. Corruptit illa  
Audaciâ suâ sexum minorem: illa  
Majorem conculcandum sic proponit.

*Charfena*. Vindica utrumque. Hæc est sententia mea:  
Regina regi, uxor marito adversa,  
Duplici gradu & culpæ, & pœnæ est rea.

Si te non timet,  
Si te non amat,

Pœnam ejus lex proclamat:  
Perdat lectum, perdat thronum.

Et agnoscat quòd amari  
Erat pompa tui favoris:

Dominari

Tui amoris

Erat donum.

Si te &c.

*Assuerus*. Perdat utrumque.

*Zethar*. Ignosce, o rex, reginæ.

*Assuerus*. At quia regina, illius est gravior culpa:

*Zethar*. Parce uxori dilectæ.

*Assuerus*. Obluctantem marito uxorem vocas?

*Zethar*. Forsan ejus modestia, & pudor ejus.....

*Assuerus*. Sponsæ absolvit pudorem

Arbitra vox mariti. Utrumque perdat:

Iname-

Immerita utriusque, utriquè ingrata:  
Vasthi innobediens regi, ad faciem regis  
Nequaquam ultrâ ingrediatur: Regnum  
Altera melior illâ accipiat sibi.

c.1.n.19.

Sic quem maritis suis honorem ferant

Cunctæ discant uxores;

Et majoris jactura

A' periculo pœnæ arceat minores.

Vestras flammæ amovete,

Tela vestra lacerate,

Mei neglecti irati amores.

Vos me tantùm inflammate,

Vos vindictam me docete,

Provocati mei furores.

Vestras &c.

*Zethar*. Longos tibi, & beatos,

Mi rex, quòd vivos tuos auguror annos;

Et quòd, si placet Diis, vivas & nostros;

At de vacuo tuo lecto

Quem nobis regem das? quem regno hæredem?

*Charfena*. Per subditas provincias speciosæ

c.2.n.3.

Quærantur regi virgines.

*Harbona*. Et illa,

Quæ sic formâ, & virtute alias excellat,

Ut dignam voti sui rex ipse credat,

Socia thalami, & regni illa succedat.

c.2.n.4.

*Assuerus*. Placet. Tu, Zethar, Vasthi legem meam

Annuncia. Sciât superba

In hac luctus acerbâ amarâ scenâ

Quanta sit ejus culpa ab ejus pænâ.

*Zethar*. Flectere regis iram

Quis poterit? Heu! Vasthi,

Quot bona perdidisti! Heu! quàm peccasti!

A sociâ sæpè ad nidum revocata

Fugit columba ingrata;

A 3 Et

Et nullum damni sui sentit timorem.  
Sed mox infortunata, & derelicta  
Errat gemendo afflictâ,  
Et jura perdit nidi, & sociâ amorem.

*Præfectus.* Esther, amata neptis,  
Comprime tua suspiria, absterge fletus.

*c. 2. n. 6. Esther.* Nostræ gentis ruina,  
Stirps nostra in Babylonem transmigrata,  
Jeconiæ regis Juda impiæ catenæ,  
Sunt causæ, heu! nimis justæ, amari luctus.

*Præfectus.* Non est abbreviata  
Dextera nostri Dei. Per somnia nobis  
Loquitur sapè. A limine Orientis

*c. 11. n. 2.* Penè fulgebat primo Aurora albore,  
Cum placido in sopore hæc magna vidi.  
Parvum videbam fontem

*c. 11. n. 10.* Crescere aquarum copia in fluvium magnum,  
Universam rigando undique terram.

Insolita, impercepta animæ meæ  
Tunc irrepsit lætitia; & adhuc gaudet;  
Et adhuc sperat. Mecum gaude: & nobis  
Fata minus severa,  
Et placabilem Deum tu mecum spera.

Irato in æquore  
Notorum statibus  
Succedunt Zephiri,  
Spirantes placidè  
Optatam ratibus  
Tranquillitatem.

Et tunc in littore;  
Transactis fluctibus,  
Viator jubilat:  
Et partam celebrat  
Constantiæ fructibus

Fœlicitatem.

Irato &c.

*Esther.* Mi Domine, mi custos;

Et, quoniam tuæ tutelæ hoc debeo nomen,  
Pater optime mi: Voluntas tua  
Fit mea. Parenti utroque infans orbata,  
Duræ captivitatis

*c. 2. n. 7.*

Victima deploranda ego manebam.  
Tu providus, tu pius in filiam tuam  
Me neptem adoptasti. Indictâ stirpe,  
Et Susis malè nota, in regis aulâ  
Tecum sperando crevi. Ingenio & mente  
Dirigis me. Quidquid sum ego est opus  
Consilii tui. Tu me sperare jubes?

*c. 2. n. 8.*

Speremus. Ipsa quoque,  
Nescio an somno, an vigiliâ, alta prospexi:  
Et si, quod faxit Deus,  
Non meditor auguria incerta, & vana,  
Audi, quæ vidi, & quæ adoravi arcana.

Neglecta in prato, & humilis jacebat  
Mœsta Viola inter amænos flores:  
Nec rivus undâ amicâ illam fovebat,  
Nec de cœlis in eam cadebant rores.  
Cum ecce de repente altior surgebat,  
Novos è gremio suo fundens odores;  
Tandem crevit in Rosam transformata,  
Ostro amicta regali, & coronata.

*Præfectus.* Adsit præfagiis Deus. Humilitatis  
Præmium est exaltari. At en-Regina,  
Et Macedo cum illa Aman superbus.

*Vasthi.* Vasthi à folio exturbata?

*Zethar.* Hoc regis votum est.

*Abra.* Votum crudele.

*Vasthi.* Vasthi à thalamo ejecta?

*Zethar.* Hæc potentis verenda est lex mariti.

*Abra.* Immo tyranni est lex: lex est ingrati.

*Vasthi.* Indictâ poenæ causâ ad poenam trahor?

*Zetbar.* Vocata restitisti.

*Abra.* At quid per hoc? An violata est fides  
Connubii? Rea non est: non, non est rea.

*Vasthi.* Rea non sum. Reus est ille:

Ille perfidus est. Impio marito,  
Cujus occupet cor tædium uxoris,  
Culpa non deest, quam innocenti imponat.

Testor vos, testor Deos,

Innocentiam depressa obtestor meam:

Me maritus, me rex sic faciunt ream.

Alio amore

Forfan captus,

Sivè raptus

Suo furore,

Inauditam, impotentem,

Ut me perdat damnat me.

Et me accusat innocentem,

Ut a fraude absolvat se.

Alio &c.

*Esther.* Ne obmurmurés, regina, in regis vota.

*Vasthi.* Iniquam judex reus sententiam tulit.

*Esther.* At in iudice tuo regem formida.

*Vasthi.* Tacens me ream fatebor?

*Esther.* Audaciâ tuâ non te innocentem probas.

*Vasthi.* Quid humilis sperabo a meo tyranno?

*Esther.* Quid sperabis superba? Ira regalis

Rapidum flumen est. Quidquid resistat

Frangit impetus aquæ,

Et opposita vis vim auget cursus.

*Vasthi.* Quid agam? Damna mea crescunt in morâ.

*Esther.* Regis iram exora. Ad ejus pedes....

*Vasthi.* Supplex fiam? Esther, tace. Adversitate

Tam dejecta non est anima Vasthi.

*Esther.*

*Esther.* At tu, parce, o regina, at tu peccasti.

*Abra.* Cessit in gloriam culpa. Auspice Baccho,

Non auspice Hymenæo rex eam vocavit.

Venisset Vasthi ad sobrios benigna;

Sed mero temulenta

Principum turba erat reginæ indigna.

Donec rosa in foliis latet

Servat regni dignitatem.

Quando inermis cunctis patet,

Contrectata,

Prophanata,

Totam perdit majestatem.

Donec &c.

*Præfectus.* Obbedire debebat.

*Aman.* Tu quoque infestus Vasthi?

Tu reginam censorio improbas voto?

*Præfectus.* Non ego Vasthi, at ejus culpæ adversor.

*Vasthi.* An per me verecundia in culpam transit?

Quisnam Judex à folio tam severus

Pellere potest me?

*Assuerus.* Potest Assuerus.

*Vasthi.* Potest, fateor, si placet.

*Assuerus.* Et placet, quoniam licet.

*Vasthi.* At cur à facie tuâ me repulisti?

Quænam est culpa mea?

*Assuerus.* Non obbedisti.

*Aman.* Ejus crimen, mi rex, ejurat Vasthi.

Poenitet eam peccasse. Judex esto;

Sed regem præbe in iudice clementem:

Et illam veniâ tuâ fac innocentem.

Assuere,

Miserere

Poenitentis,

Et gementis

Desolatæ amatae uxoris.

A 5 Ille

Ille fletus,  
 Ille metus,  
 Sunt doloris  
 Instrumenta:  
 Argumenta sunt amoris.

Assuere &c.

*Assuerus*. Aman, quòd ego illius revocem fata,  
 Nulla spes sit in te, sit nulla in ea.

Justa est lex: *Vasthi* est rea: sententia est lata.

*Vasthi*. O fata acerba!

*Abra*. O durum cor!

*Præfectus*. Audacem

Me faciunt ejus damna infortunata.....

*Assuer*. Justa est lex: *Vasthi* est rea: Sententia est lata.

*Esther*. Peccavit *Vasthi*, o rex; sed ejus culpâ  
 Major sit tua clementia.

*Assuerus*. Quos cerno egregios vultus?

*Esther*. Peccavit. Parce afflictæ. O me foelicem!

Si in luce vultus tui jamjam sereni,  
 Secundam voto meo gratiam inveni.

*Assuerus*. Surge, o Virgo. Præ cæteris tu mihi  
 Formosior placuisti:

*c. 2. n. 9.* Et gratiam apud me jam invenisti.

*Vasthi*. *Esther*, virtute tuâ me redemisti.

*Chorus Ancillarum*. Latare *Vasthi*, & jubila.

Regina, & uxor es.

Fugavit *Esther* nubila:

Et ejus sit victoria

Per te secura gloria,

Per nos beata spes.

Latare &c.

*Assuer*. Gratiam, Virgo, invenisti. At pande nomen.

*Esther*. *Esther* vocor: *Assueri* infima ancilla.

*Assuerus*. Humilitas decora! Unde natales?

*Esther*. Innocenti mendacio ignoscat Deus.)

Susis

Susis orta, & ex tuis. Curia Præfectus

Me suscepit benignè, & adoptavit.

*Assuerus*. Novi pietatem viri. E' cujus stirpe?

*Præfectus*. Non ignobili, o rex: sed ærumnosa.

*Assuerus*. Thalamo, & folio nostro, *Esther*, dotaris. *c. 2. n. 17.*

Hæc gratia sit, quam apud me invenisti,

Et quam tu specie tuâ tibi parasti.

*Vasthi*. Impia fors! vana spes! misera *Vasthi*!

*Esther*. Quid audio? Usque ad coronam

Attollam frontem ego? Ego exaltata

*Vasthi* regina? nec crescam ruina?

*Assuerus*. *Vasthi* jam facta rea, non est regina.

Ah! cur taces?

Illæ faces,

Ignis ille,

Quibus ardent tuæ pupillæ,

Sunt incendia cordis mei.

Veni. Regna: & regem bea:

Et tua vox cum voce meâ

Voces sint nostri Hymenæi.

Ah! cur &c.

*Esther*. Ecce tua, rex, ancilla. Mihi fiat

Secundum verbum tuum. Quo me vocatis,

Humilis sequor vos, provida fata.

*Vasthi*. Crudelis *Assuere*! *Esther* ingrata!

Siccine, gradum fiste, ignota & vilis

Lectum usurpat *Vasthi*, usurpat thronum?

*Assuerus*. Obmutesce, o superba. Ignoram, vilem

Virtute suâ te meliorem voco:

Et in tuo, melior te, regnabit loco. *c. 2. n. 18.*

*Vasthi*. Non regnabis, iniqua. Avida regni

Sic pro regina tua regem exoras?

I, perge, rumpe moras;

At me vindicem time. Ascende thronum;

Impunis & secura adhuc non stabis.

A 6 Quid

Quid plurā? Damno meo non, non regnabis?  
 Tam in mari procella non fremit,  
 Quā in me fremit dolor iratus.  
 Me flagellat, me torquet, me premit,  
 Odium ferox, & amor ingratus.  
 Tam in &c.

*Aman.* Abra, Zethar, sequamur infelicem.

*Aman)* Te Sponsam Assueri, & te reginam,

*Abra*) 3. Esther, obsequio meo foelix honoro;

*Zethar)* Et faustum mihi in te numen adoro.

*Præfatus.* Tandem populo nostro illuxit dies

*c. 2. n. 10.* Ab Israël Deo nobis promissa. Cunctis

Patriam, & gentem tuam, sicut cepisti

Prudens tace. Si mei consilii, aut manus

Fortè fiat opus tibi, ad regis fores

Me vigilem habebis.

Interea, filia mea, dum tuæ, dum nostræ

Securæ spei, jam coronanda, plaudis,

Effunde nostro Deo cantica laudis.

Non est Assueri amantis,

Est manus Dei viventis,

Quæ tollit te à miseriâ

Et te coronat.

Æterni est lex regnantis,

Est vox omnipotentis,

Illa, quæ dat imperia,

Et scepra donat.

Non est &c.

*Esther.* Magnificat contenta anima mea

Dominum adiutorem,

Et exultat in eo spiritus meus.

Tandem respexit ille humilitatem

Ancillæ suæ; & fecit mihi magna

Sanctum nomen illius,

Qui semper potens est, semper est pius.

Gloria

Gloria est coeli, est gratia auroræ

Si quæsitis

Margaritis

Conchas habet Indus plenas.

Et a Solis pio splendore

Copiosas,

Præciosas

Habet Ganges auri arenas.

Gloria &c.

Ecce in me parvus fons in fluvium versus.

Ecce Viola in me mutata in Rosam.

Undè merito exclamat,

Raptus à gaudio suo spiritus meus:

O mysteria! O præfagia! o somnia! o Deus!

*Chorus Judæorum.* Parvi fontis aquæ claræ,

Flumen grande jam vos estis.

*Pars Chori.* Parvi fontis &c.

*Chorus.* Et ad mare jam potestis

Regio cursu festinare.

*Pars Chori.* Flumen grande jam vos estis,

Parvi fontis aquæ claræ.

*Chorus.* Jam in rosam transformata

Coronaris, o viola.

*Pars Chori.* Jam in rosam &c.

*Chorus.* Et in prato mesta & sola

Jam non jaces desolata.

*Pars Chori.* Coronaris, o viola.

Jam in rosam transformata.

PARS

# PARS ALTERA.

*Vasthi.* **F**Rangant vires adversa, animos verò (ro.  
Nō frangant meos. Adhuc vindictam spe-

*Aman.* Quid sperabis, o Vasthi? aut quid audebis?

*Vasthi.* Miseris licent cuncta. Esther, Præfectus,  
Et rex ipse, ipse rex, si juvat, cadet.

*Abra.* Quid? Sacrum Assueri appetis caput?

*Vasthi.* Sacra perdidit jura

Sacrilegus in me. Vos, heu! nescitis

Raptæ sensum coronæ; & quo dolore

In ancillam præcipitet regina.

Si tanta mea ruina

Vos facit pios, vindices mihi adeste.

Quòd si lenta præsidii accidat mora,

Nostro præsentis malo instant pejora.

Vasthi uxoris, & reginæ

Temeraria fortunata,

Cadat æmula, & rivalis.

Sic amarus suæ rapinæ

Sentiat fructus scelerata,

Neque meis supersit malis.

Vasthi &c.

*Aman.* Cadet Esther Præfecti acerbo casu.

*Vasthi.* Habes crimen, quo reus in poenam ruat?

*Aman.* Crimen ejus, o Vasthi, est odium meum:

*c. 3. n. 1.* Ejus pœna ira mea. Me adorant omnes:

Ille non colit me, me non adorat,

*c. 5. n. 9.* Nec mihi assurgit. Altæ inscripta menti

Manet superbia illius; & provocatus

*c. 5. n. 14.* Meditor jam supplicia ultor iratus.

*Abra.* Et jure perdis eum. Non odio, aut irâ

Vindicas te; sed nostros Deos. Declinat

Ille ab eorum cultu. Apertâ fronte

Israë-

Israëlis ubique exaltat Deum:

Et se virtute reâ jactat Judæum.

Esther quoque, si est Judæa,

Tamquam rea,

Jam vacillat, jam cadit, jam perit.

De gente tam abjectâ,

De stirpe tam neglectâ

Digna Persis regina non erit.

Esther &c.

*Vasthi.* Cadat superba. Aman, sic opto, & spero.

*Aman.* Si plorabis inulta, Aman non ero. (ptri

*Assuerus.* Zethar, Charfena, Harbona, imperii, & sce-

Lumina clara mei, quo plausu novæ

Currit per gentes meas nomen reginæ?

*Charfena.* Plenissimo, mi rex. Forma decora,

Vultus regno creati, & ostro pectus,

Censentur gloriæ illius fastus minores.

Quod magis rapit nostra in regis vota,

Est humilis modestia,

Quæ cuncta habens in se virtutum bona,

Digna est thalamo tuo, digna est coronâ.

*c. 2. n. 15.*

Benè regnat, quem non rapit

In superbiam fors regnandi.

Ille regem verè sapit

Dignum gloriâ excelsâ, & grandi.

Benè &c.

*Esther.* Parce benignè, o rex, si non vocata

Adsum tibi. Amor meus veniam exorat.

In te fremunt insidiæ. In te Bagathan,

Thares impius in te, custodes ambo,

Conspirant scelerati.

*c. 2. n. 21.*

*Assuerus.* In me conspirant?

*Esther.* In te. Perfidus cave.

*Aman.* O scelus!

*Charfena.* O flagitia!

Zethar.

*Zethar. Harb. O crimen grave!*  
*Zethar. Quid moraris, & cur? Æqua in rebelles*  
*Volat iudicis ira. Animos auget*  
*Crimini tarda pœna. Eja, vindictâ*  
*Placa naturæ offensa jura, & Deos;*  
*Et debito supplicio affice reos.*  
*Tardo si armatur telo*  
*Jovis & ira in cœlo,*  
*Aut creditur placata,*  
*Aut non timetur.*  
*Rapida emittat fulmina*  
*In rea gigantum crimina*  
*Majestas provocata,*  
*Ut formidetur.*  
*Tardo &c.*

*Assuerus. Qua luce infidias nosti?*  
*Esther. Cautâ fide explorata aperuit mihi*  
*Præfectus Curia in te sinistra arcana.*  
*Aman. Forsan vox nimis vana ipsum seducit.*  
*Esther. Crimen, & reos producit.*  
*Aman. Cæca culpæ suspectio haud facit culpam.*  
*Esther. Annè cæca suspectio est regis amor?*  
*Aman. Malè judicat sæpè amor insanus.*  
*Zethar. Non insanè, sed cautè amantur reges.*  
*Aman. Causâ tam levi optimus rex non pavet.*  
*Charfena. Levis causa timendi est regis vita?*  
*Aman. Zelus custodiæ illius non fingat reos.*  
*Harbona. Jam reus est is, cujus suspecta est fides;.*  
*Esther. Quid expectemus! Consummatum scelus,*  
*In quod cælum, natura, & leges clamant?*  
*Harbona. Qui non timèt pro rege, illum non amant.*  
*Assuerus. Harbona, vade. In vincula malignos*  
*Statim rape: illos torque: excute scelus:*  
*Socios quære: impios nosce: ausus perpende;*  
*Et scelere confesso, anbo suspende.*

c. 12. n. 3.

c. 12. n. 23.

*Harbona.*

*Harbona. Æquas juro vindictæ iras tremendæ,*  
*Crudeles lictores,*  
*Terrores*  
*Parate:*  
*Et iratæ*  
*Offensa legis*  
*Pio furore armate vos.*  
*Mors, quæ salvat vitam regis,*  
*Regnum salvat, salvat nos.*  
*Crudeles &c.*

*Esther. Veni, Præfecte, veni: & parricidas*  
*Pande Assuero.*

*Præfectus. Infidias ego infames*  
*E' latibulo audivi abditus testis.*

c. 12. n. 2.

*Assuerus. Quinam sunt rei?*

*Præfectus. Bagathan ipse, ac Thares.*

*Assuerus. Qua spe, quo prætio illecti?*

*Præfectus. Imperii, & sceptri.*

*Harbona. Vix catenas sensere iniqui servi,*  
*Cùm nemine inquirente, audax uterque*  
*Jurati parricidii ausus fatetur;*  
*Et meritam flagitio invocat panam.*

*Assuerus. Meritam sentiant ambo. In fastos regni*  
*Hic redigatur dies: Uxor dilecta,*  
*Hodiæ lætantes chori*  
*Nostræ plaudant saluti, & nostro amori.*

*Chorus Aulicorum. Astro novo, & fortunato*  
*Lætam diem signate, o cœli.*  
*Hodie à sponsâ suâ fideli*  
*Rex crudeli*  
*Est raptus fato.*  
*Lætam diem signate, o cœli,*  
*Astro novo, & fortunato.*

*Assuerus. Tibi, Esther debeo me.*

*Esther. Nil debet suæ*

*Assue-*

Assuerus ancillæ. Uxoris nomen  
 Non mutavit cor meum. Si quid amoris,  
 Si fidei quid in me respicis fortè,  
 Non est virtus laudanda;  
 Sed necessitas est. Precario sceptro,  
 Precario grandis lecto, amorem meum  
 Tibi plenè juravi, & fidem meam.  
 Negligens, vel ingrata,  
 Impiam crederem me, crederem ream.

Si cum sole florem cerno.

Se moventem;

Motu æterno

Suam constantiam docet me.

Et Phœnicem si tu vides

Sole ardentem;

Tantus amor, tanta est fides,

Undè accendor erga te.

Si cum sole &c.

Assuerus. Lucis fons, vitæ origo, author diei,  
 Decus cæli, honor terræ, arbiter orbis,  
 Sol, Persarum tutela, & primum numen,  
 Grates suscipe meas. Lumine tantum  
 Quo tibi patent cuncta, insidias novi.  
 Lumine accensæ tuo nuptiales ardent  
 Inopinatæ faces:  
 Et Esther, Esther ipsa,  
 Quæ vivam speciem tuam nobis ostendit,  
 Lumine tuo cor Assueri accendit.

Pulchra ut luna, ut Sol electa,

Fronte refert mea dilecta,

Mea formosa refert ore

Lucem eam, qua radiant spheræ.

Et cœlesti illius splendore

Sentio me beatè ardere.

Pulchra &c.

Nunc,

Nunc, age; viro pio, quem summo honore

Prosequi velit rex, Aman, quid fiet? c. 6. n. 6.

Aman. Novo gradu auget me. Cor meum latere.) c. 6. n. 8.

Regali clarus veste, atque coronâ,

Insidens regis equo urbem incedat; c. 6. n. 8.

Et nobilior ex tuis

Pandens merita illius, illum precedat. c. 6. n. 9.

Assuerus. Quæ dixisti, decrevi. En tibi virum. c. 6. n. 10.

Aman. Tantus honos Præfecto?

Præfectus. In me rot bona?

Assuerus. Debita impertior dona. Irascar, Aman,

Si quid de lege mea tu prætermittis. c. 12. n. 5.

Aman. Vulnera facta meis patior sagittis.) c. 6. n. 10.

Præfectus. Te veneror silentio.

Mecum clementiam tuam hodie exaltabis;

Et in triumpho meo tu triumphabis.

In rivo claro & limpido,

In fructu dulci & tenero

Semper laudatur fons, planta laudatur.

Decus omne puritatis,

Omnis laus suavitatis

Datur fonti, & plantæ datur.

In rivo &c.

Assuerus. Hodie per eum renascor.

Aman. Tempus adest vindictæ. ) At certa est salus?

Assuerus. Quis post suspensos reos capitis mei

Tentet ruinam?

Aman. Quis? Tentant Judæi. c. 3. n. 8.

Gens improba, & prophana impatiens fræni,

Legibus, tibi, & Diis aures obdurat:

Et audaciâ rebeli in te conjurat.

Assuerus. Gentem scelestam perde. Accipe necis c. 3. n. 10.

In meâ regali gemmâ arbitra jura. c. 3. n. 12.

Tibi spolia decerno. Age! si placet, c. 3. n. 13.

Quotquot sunt, nullo excepto, iniquos dele.

Si

Si excidium iustum est, non est crudele.

*Aman.* Pietatis virtutem

Nemo expectet à me, nemo salutem.

Falce mortis obruncata:

Resecata

Ut vilis herba,

Gens superba,

Debes mori.

Mori debes clade acerbâ,

Gens ingrata,

Iusto victima furori.

Falce &c.

c. 3. n. 12. *Vashti.* Abra, lætemur. Imminet jam Sufis

Luctus Judæis, & mors: immò & ubique

Illos jam terret lex. Sexus uterque

Jam conclamatus est. Cadent iniqui;

Et communi ruinâ

Cadet à folio meo vilis reginâ.

*Abra.* Annuat cælum voto; at regis amor

Crevit insidiâ apertâ, & in uxore

Fidam servat custodem.

*Vashti.* Nescis quàm languet brevi amor maritus,

Abra dilectâ. Nescis

Quàm sit cita, & ingrata oblivio regis.

Mea non incerta spes est furor legis.

Sperabo, ut sperat quoque hirundo mæsta,

Quam pellit hyems infesta

A tecto amato.

Exul recedit illa, at novo vere

Videmus eam gaudere

In nido grato.

Sperabo &c.

c. 4. n. 7. *Esther.* Vera narras excidia?

*Præfectus.* Et nimium vera.

c. 13. n. 12. *Superbissimus Aman*

Perdit

Perdit me, perdit nos. Cunctos extortâ

Mors inquirat sententiâ, & cunctos terret.

*Esther.* Quæ præsidii est fiducia? Adire est nefas

Regem non advocata. c. 4. n. 11.

*Præfectus.* Interea certam

Per regna annunciant necem.

Cursores rapidissimi; & ferales. c. 3. n. 15.

Necis in Adar mense indicunt dies. c. 8. n. 12.

Heu! quot Sufis suspiria!

Heu! quot lacrymæ! quot! Undique flentes

Audi, o filia, Judæos: audi gementes.

*Chorus Judæorum.* Comas horrore squalidas,

Genas dolore pallidas,

Sparge funesto cinere,

Lacrymis riga uberrimis,

O desolata gens.

Ad ferum tubæ sonitum

Palpitat cor attonitum;

Et videns spem desinere

Ærumnis in miserrimis

Trepida pavet mens.

Comas &c.

*Esther.* Omnipotens, æternè, immense Deus,

Domine regum rex, præter quem nullum

Nobis auxilium est, nullus adjutor;

Nostra via, nostra spes, populi tui,

Sicut locutus es ad patres nostros,

Miserere depressi. Illum defende;

Et nostrum manu tua te Deum ostende. c. 14. n. 12.

*Assuer.* Quos fletus, Esther mea, quos cerno vultus?

Responde. En aureâ virgâ,

Quâ collum tango tuum, clementiæ signum. c. 15. n. 15.

*Aman.* Collum dignum securi.)

*Vashti.* Et laqueo dignum.)

*Esther.* Emanata in Judæos

Me

Me vexat dura lex. Victimam quæris?

En tibi in Esther, tibi

In me, quam vocas tuam, victima prima.

*Assuerus*. Quid faris? Quos in te timores lego?

*Esther*. Victima prima sum. Judæa sum ego.

*Vasthi*. Actum est. Si est Judæa,

Lata est lex: aqua est pœna: Esther est rea.

*Assuerus*. Sileat Vasthi neglecta. Animos cape.

c. 15. n. 13. Legis victima nostræ, Esther, non eris:

c. 15. n. 12. Regina, & sponsa mea non morieris.

Non, mea gloria: non, mea spes,

Noxia in regem tu non es;

c. 15. n. 14. Dura lex non est pro te.

Si tua vita est vita mea,

Dùm tu mortis fores rea,

Mortis reum damnarem me.

Non, mea &c.

*Esther*. Nimis furit in me: nimis in illum,

c. 8. n. 6. Quem patrum fateor meum, perfidus hostis.

*Præfectus*. Immò, o Rex, & in te. Perfurum audet.

c. 16. n. 14. Regnum transferre in suos homo infidelis.

*Assuerus*. Quis tantâ sordet culpâ?

c. 7. n. 6. *Esther*. *Præfectus*. Aman crudelis.

*Aman*. Irruat super me fulmen de coelis.)

*Assuerus*. Regalem redde gemmam. Catenatum

Hunc rapite, o custodes.

*Harbona*. Innocenti

Patibulum Præfecto impius paravit.

c. 7. n. 9. *Assuerus*. Impium in eo suspende; & in æternum

Ultrâ fines imperii exulet Vasthi.

*Aman*.

*Vasthi*. } O merita ruina! o dies nefasti!

*Abra*.

*Præfectus*. Perde & filios illius. Quot vivent fontes,

c. 9. n. 14. Tot timebis proterviæ iniquos fontes.

Irâ,

Irâ, & odio: ferro & igne;

Pullulantes, renascentes

Hydras comprime rebelles.

Sed clementer, & benignè

Serva gentes

Innocentes,

Et imbelles.

Irâ, & odio &c.

*Assuerus*. Sic fiat. Esther, vive. Esther, lætare. c. 8. n. 6.

*Esther*. Ipsa populo meo vivam superstes?

Nostrâ excisâ memoriâ ego lætabor?

*Assuerus*. Quid cupis? Quid à me postulas ultrâ? c. 9. n. 12.

*Esther*. Primam fraude surreptam

Revoca legem lege; & dies mæroris

In gaudii lætos dies verte pro meis. c. 9. n. 19.

*Zethar*

*Charsena* } Justa petit, o rex. Parce Judæis.

*Harbona* }

*Assuerus*. Præfecto annulum trado. Ut lubet, scribat: c. 8. n. 2.

Et fiat irrita lex lege recenti. c. 8. n. 3.

Vivat populus tuus. Gaudio solemnes

Quarta & quinta post decimam Judæis

Sint mensis Adar dies; c. 9. n. 24.

Et immortalis tûæ famâ virtutis;

Esther nomen sit eis nomen salutis.

*Esther*. Triumphat Abraham Deus. Eja: canentes

Pangite nostrum Deum, redemptæ gentes.

*Omnes*. Pangite nostrum Deum, redemptæ gentes.

*Esther*. Misericors, amabilis,

Ille exaltavit humiles:

Deposuit de sede ille potentes.

Inanes, formidabilis,

Dimisit ille divites:

Implendo bonis suis esurientes.

Misericors &c.

Nunc

Nunc audite, quæ, cœlo afflata, loquor.

Post sæcula remota

Æther adveniet nova,

Cujus sum ipsa imago. Æterni regis

Sponsa illa quoque, & illa quoque ancilla,

Beneficio majori, orbis totius

Erit salus, & vita: & inter cuncta,

Quæ grata colent eam subdita regna,

**HADRIÆ PUBLICA RES**, quæ ad instar ejus

Libertate illibata,

Et gloriâ virginali erit insignis,

Præsidio aucta perenni,

Regios favori illius submitter fascis.

Gaude illustri præfagio **HADRIA** decora;

Et in nomine meo

Tutelam regni tui, **MARIAM** adora.

*Omnes.* Terræ, ac maris,

Salutaris

Salve, stella.

Spes cœlestis tui favoris

Nobis portum verè ostendat;

Et defendat

In procella.

Terræ, ac maris,

Salutaris

Salve, stella.

Lux beata tui splendoris

Pacem certà honoret gloriâ

Et victoriâ

Illustret bella.

Terræ, ac maris,

Salutaris

Salve, stella.

**F I N I S.**



9583

9585

S. i. d. a. - Humilitas exaltata seu Ester Regina -  
Oratorium musicum habebatur in templo Divi Lazari Mendicantium -  
Venetiis - MDCCXII - apud Marinum Rossetti - form. in 16° pP. 24  
teste in lingua latina - leg. in carta semplice - buono stato  
conserv.

(L. 250 nel '52)